

Thomas Lindemann Nicolaus Sledan

Disputatio De Donationibus

Rostochii: Reusnerus, 1607

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728318393>

Druck Freier  Zugang



Th. Lindemann (Nur. Sledanus) 16

R. U. Nr 1607.

Disputatio
DE
DONATIONIBUS,

Quam

DIVINA AUXILIANTE GRATIA
PRAESIDE

Clarissimo & Consultiss. Viro,
Dn. THOMA LINDEMANNO,
J. U. D. & Professore ordinario,

Publici exercitij gratia proponit
NICOLAUS SLEDANUS
ROSTOCH.

*Ad diem 14. Februar. in auditorio magno,
initio 6. hora matutina facta.*

ROSTOCHII
Typis Christoph. Reusneri. Anno 1607.

Diplomatio

DE
DONATIO
NIBUS

LIBER
DE
HOMINUM
LIBERTATE
ET
SALUTE
SICUTI
ET
DE
SACRIFICIIS
ET
DE
SACRIFICIIS

Wilhelm-Pleck-Universität
Rostock
Universitätsbibliothek
25 Rostock
Universitätsplatz 5



Quamvis hoc seculo nostro extincta prope liberalitate avaritiâq; dominante donationis materia in foro, teste Julio Claro, non usq; adeò frequens & quotidiana sit, ejus tamen cognitio non minus jucunda, quàm praxis grata & utilis, hanc publicam συζητησιν ut proponeremus, suasit.

THESIS I.

DONATIO dicta est à dono, quasi dono datum, tracta à Græcis, nam hi dicunt δῶρον καὶ δωρεῖσθαι, id est, donum & donare.

I I.

Est autem donatio in genere actus, quo res simpliciter vel relativè donandi animo in alterum confertur. unde in simplicem & relativam, sive propriam & impropriam rectè dividitur.

I I I.

Propria donatio, quæ & absoluta, directa, vera & mera dicitur, jure veteri non subsistebat, nisi stipulatione firmata, legis actione aut traditione consummata esset: hodie nudo consensu perficitur & traditione plenum effectum sumit.

I V.

Unde commodè de finiri potest, Donatio est conventio legitima, consensu constans, qua acceptante donatario liberalitatis causa res hac mète donatur, ut nullo casu recipiatur.

A 2

Hinc

V.

Hinc *δῶς ἀναμίδος* ab Aristotele dicitur; & rectè à Platone in Philebo *ἢ ὁρθῶς δὲ βέλταν ἀφαιροῦν γὰρ εἶναι* traditur.

V I.

Donare porrò possunt omnes, qui liberam habent rerum suarum administrationem, & qui nominatim legibus non prohibentur.

V I I.

Prohibentur autem naturâ, infans, pupillus, mutus, surdus ita natus: casu, mente captus, furiosus: lege, prodigus, servus, filiusfamilias, etiamsi liberam peculij administrationem habeat.

V I I I.

Filiusfamilias tamen vel ex speciali, vel ob dignitatem patris præsumpta permissione, vel ratione peculij rectè donat.

I X.

A minore quoque rei immobilis, ut & à muliere rei dotalis facta donatio nullo modo subsistit, nisi juramento firmetur.

X.

Omnibus etiam donare licet tam amicis & notis, quàm extraneis & ignotis, tam præsentibus, quàm absentibus, per epistolam, per nuncium, vel aliam interpositam personam.

X I.

Affectionis quoque gratia neque honestæ neq; inhonestæ donationes jure civili sunt prohibitæ. Unde meretrici datum ratum quidem est, non datum tamen peti non potest. Imò

X I I.

Imò quæcunq; de hac donatione jure civili scripta verbo DEI contraria sunt pro non scriptis haberi & una litura à Christianis induci debent.

X I I I.

Maritus verò uxori, vel contra uxor marito constante matrimonio donare prohibetur.

X I V.

Ut autē mortuo donatario donatio hæc inter virum & uxore penitus evanescit, ita donatoris morte firmitatem accipit, sive traditio jam ante mortem facta sit, sive promissio tantum intervenerit, in tantum ut dominium rei donatæ ad donatarium pertineat ex die donationis factæ.

X V.

Donationes etiam quas parentes in liberos cujuscunq; sexus in potestate suâ constitutos conferunt, licet jure per se non subsistant, morte tamen & juramento donatoris confirmantur.

X V I.

Donatio etiam filio in bellum ituro, aut studiorum causa, vel ad consequendos honores à patre facta valet, nec collationi subjacet.

X V I I.

Porrò donari possunt res qualescunq; corporales & incorporales, modò sint donantis propriæ & commercio hominum non exemptæ.

X V I I I.

Unde res sacræ, sanctæ & religiosæ donationem minime subeunt.

X I X.

Usufructuarius quoq; usumfractum sicut & vassallus feudum sine dominiorum consensu minus rectè donant.

X X.

Emphyteuta tamen emphyteusin etiam invito domino alteri donare potest.

X X I.

Universa etiam bona, tam futura quàm præsentia, sub quibus & nomina & actiones continentur, rectè donantur.

X X I I.

Ad constituendam hujusmodi donationem imprimis requiritur, ut à donatore res simpliciter animo donandi tradantur vel promittantur, à donatario acceptentur, & si quingentos aureos excedant actis publicis insinuentur.

X X I I I.

Insinuatio hæc fieri debet coram iudice competente, cui donator vel res donata subiacet, ut donatio in acta relata plenam vim habeat.

X X I V.

Estq; adeò hæc insinuatio necessariâ, ut quod supra dictam quantitatem donatum actis insinuarum non est, pro non donato habeatur, in tantum, ut licet huic solemnitati donator renunciarit, nihilo magis donatio valeat.

X X V.

Quod tamen pro redemptione captivorum, pro reparatione ædium incendio, vel ruinâ dirutarum.
vel à

vel à magistro militum militi honoris causa, vel à Principe vel Principi datur, aut juramento siugulariter confirmatum donatur, ab hac insinuationis necessitate eximitur.

X X V I.

Hoc tamen ad donationem patris in filium, vel ad pias causas factam minimè extendendum censemus.

X X V I I.

Donatio ad dictum modum peracta etiamsi res non tradatur, plenissimum tamen robur habet, sic ut præstando interesse non liberetur donator, sed traditionis necessitas eidem incumbat.

X X V I I I.

Ad quod siquidem stipulatio intervenit per ex stipulatu actionem, sin minus per ex lege condictiam, compelli potest.

X X I X.

Non tamen ad solutionem adeò præcipitandus donator est ut egeat; cum hi qui ex liberalitate conveniuntur in id tantum, quod facere possunt condemnandi sint.

X X X.

Quod si res donata evincatur, nulla actio contra donatorem competit, nisi evictionem stipulanti donatario promiserit.

X X X I.

Planè de dolo potest adversus eum habere actionem, si dolo fecit, h. e. si sciens donatarium fefellerit.

A 4

Deniq;

XXXII.

Deniq; perfectæ donationes temerè revocari à donatore non possunt, ob causam possunt: scilicet ob factum donatarij & ob liberos donatori natos.

XXXIII.

Factum hoc dicitur ingratitude, cujus certas constituit Iustinianus, *in l. ult. C. de revoc. don.* Species quibus similes vel graviores addere non licet.

XXXIV.

Ob supervenientiam liberorum post donationem natorum donatorem, etiam non patronum, totum quicquid largitus fuit revocare (quasi conditione defectâ, sub quâ tacitè intelligitur donasse, si liberos non habuerit) posse æquitas suadet.

XXXV.

Hinc quæsitum est, an donatio per supervenientiam liberorum rescissa reconvalescat, si liberi vivo adhuc patre decedant? Negativa videtur verior.

XXXVI.

Quod si existentibus filijs pater uni ex filijs donaverit omnia bona aut maximam eorum partem, & postmodum nascantur etiam alij filij: tunc nec ipse in solidum, nec liberi ipso vivo, sed mortuo per querelam inofficiosæ donationis pro modo legitimæ portionis donationem revocare poterunt.

XXXVII.

Nec interest liberi ab intestato, an ex testamento donatori succedant, modò sint legitimi, nec quinquennium à morte donantis fuerit elapsum, nec patris iudicium ab ipsis agnitum.

Porro

X X X V I I I.

Porro relativa seu impropria donatio est actus quo res aliqua ob causam donandi animo in aliquem confertur.

X X X I X.

Idq; fit mortis causa vel non mortis causa.

X L.

Mortis causa donatio est actus, quo quis mortis suæ metu vel intuitu rem aliquam alicui ita donat, ut morte secuta ejus fiat.

X L I.

Ejus tres sunt species. Una, cum quis nullo præsentis periculi metu conterritus, sed solâ cogitatione mortalitatis donat, quod quidem exprimendum est: alioquin pura erit à moriente facta donatio:

X L I I.

Alia species donationis causa mortis est, cum quis imminente periculo commotus ita donat, ut statim fiat accipientis: quæ statim quidem perfecta est, sed sub conditione resolvitur.

X L I I I.

Tertium genus est, si quis periculo motus non sicut statim fiat accipientis, sed tunc demum cum mors fuit infecta.

X L I V.

Imò verò & ita donari mortis causa potest, ut nullo casu sit repetitio.

X L V.

Ubi verò ita donatur, causa donandi magis est quam mortis causa donatio est: & ideò perinde haberi debet, ac alia quævis in ter viros donatio.

Mortis

X L V I.

Mortis causa donare possunt omnes, quibus testamenti factio est.

X L V I I.

Filiusfamilias verò, etiamsi testamentum facere etiam voluntate patris nequit, tamen mortis causa donare patre permittente potest.

X L V I I I.

Minor etiam sine curatoris autoritate rectè mortis causa donat.

XLIX.

Nec inter conjuges eadem prohibita est donatio, sicut nec inter patrem & filium.

L.

Omibus autem mortis causa donari permittitur, qui legata accipere, omnesq; res quæ legari, etiam donari possunt.

L I.

Ut autem firma hæc sit donatio, nec scriptura nec insinuatio requiritur.

L I I.

Quinq; testes tamen interveniant necesse est exemplo ultimarum voluntatum, nisi apud acta fiat donatio, quo casu nec testibus opus est.

L I I I.

Sunt & mortis causa donationes ad exemplum legatorum ferè per omnia redactæ.

L I V.

Hinc est quod etiam Falcidia in donationibus causa mortis locum habeat, & dominiũ donatarum rerum rectà vià ad donatarios transeat.

Quin

LV.

Quin & exemplo legatorum hæ donationes poenitentia donatoris, sicut & convalescentia ejusdem, & morte donatarij priore revocantur.

LVI.

Et revocantur quidem conditione ob rem dati, vel utili in rem actione, quæ & in factum appellatur.

LVII.

Liberi etiam per querelam inofficiosa donationis, si integram legitimam salvam non habeant mortis causa donata à patre ad debitum bonorum subsidium consequendum revocare possunt.

LVIII.

Non mortis causa, ob causam tamen donatur, quod nuptiarum vel meritorum aliquorum nomine in aliquem confertur.

LIX.

Propter nuptias donatio sive sponsalitia largitio est contractus, quo vir vel alius ejus nomine uxori propter dotem & nuptiarum affectionem aliquid confert. unde Græcè ἀντὶ φέρον sive ἀντιφύρασι dicitur.

LX.

Sicut enim dos datur marito uxoris nomine, ita donatio propter nuptias datur uxori mariti nomine.

LXI.

Est & eodem propè jure dos ac donatio propter nuptias, eadem utraq; pacta recipit, eademq; utriusq; quantitas est.

LXII.

Hoc posterius tamen nec olim obtinuit, nec hodie ex generali quadam omnium ferè locorum consuetudine observatur.

Olim

LXIII.

Olim quidem & hæc donatio actis insinuanda erat indistinctè, nisi in matrem familias minorem, 25. annis esset collata.

LXIV.

Hodie verò ex parte viri insinuatio requiritur omninò, ex parte mulieris valet donatio hæc etiam sine insinuatione.

LXV.

Est deniq; improprie donatio quæ ob causam, & benemerita fit, & remuneratio dicitur.

LXVI.

Quæ inter patrem & filium, itemq; maritum & uxorem prohibita simpliciter non est.

LXVII.

Insinuationem tamen requirit si quingentos solidos exsuperet.

LXVIII.

Quæcunq; verò merita sufficiunt, nec opus est ut ex ijs actio nascatur.

LXIX.

Modò de illis ex instrumento vel aliunde constet quæ sint; nec enim generalis locutio, dono tibi ob merita sufficit.

LXX.

Quod si ob merita donatio remuneratoria facta sit, eaq; deinde à donatario probentur, valebit donatio etiam sine speciali meritorum expressione.


LXXI.

Conclusionis loco fit: in remuneratoria donatione locum nonnunquam habere dispositionem.

l. si unquam, C. de revoc. donat.

COROLLARIUM.

An Imperator Constantinus Sylvestro Papa Occidentis Imperium donavit, vel donare potuerit? Virumq; Neg.



XXXVIII.

Porro relativa seu impropria do-
quo res aliqua ob causam donand
quem conferrur.

XXXIX.

Idq; fit mortis causa vel non mor

XL.

Mortis causa donatio est actus
tis suæ metu vel intuitu rem aliquar
nat, ut morte secuta ejus fiat.

XLI.

Ejus tres sunt species. Una, cum
fentis periculi metu conterritus, sed
ne mortalitatis donat. quod quie
dum est: alioquin pura erit à mo
natio:

XLII.

Alia species donationis causa m
quis imminente periculo commot
statim fiat accipientis: quæ statim
cta est, sed sub conditione resolutu

XLIII.

Tertium genus est, si quis pericu
sudet ut statim fiat accipientis, se
cum mors fuit infecta.

XLIV.

Imò verò & ita donari mortis e
nullo casu fit repetitio.

XLV.

Ubi verò ita donatur, causa do
quàm mortis causa donatio est: &
haberi debet, ac alia quævis in ter v

